

sphæria dicuntur, unumq̄ horum superius, & alterum inferius, illud supra & appa-  
rens, hoc infra terram & non apparens. Hunc circulum interpretantes græcam uo-  
cem latine Finitorem dixerunt. Qui quoniam singulis progressibus ab ortu in  
occasum, aut retro quæ longitudines nominantur, uariatur, ideo in globo describi nō  
potuit. Sicut & meridianam armillam extra esse oportuit, in qua pendens globus per  
sectiones horizontis attolleretur, id est, ut loquuntur, eleuaretur, aut contra deprime-  
retur, quæ uariatio intelligitur progressibus ad polos, & est Græcis *ἐξομα*, dici-  
turq̄ etiam latitudo regionum. Horizon & ipse intima parte sui in partes CCCLX,  
diuisus est. Ita dabuntur singulis quadrantibus, siue ut uocant nunc quartis partes,  
XC. Quæ ipsæ partes siue gradus sunt ortiuæ amplitudinis & Azimut, ut appel-  
lantur. Quorum circuli omnes, quia per uerticalem punctum qui est Arabice Ze-  
nith transeunt, ideo Græcis uerticales circuli nominati sunt. Illum autem uerticalem  
punctum siue Zenith, polum etiam Horizontis uocant. In Finitoris armilla sunt &  
descripti XII, anni menses, sunt & horum dies, atq̄ insuper XII, signiferi loca, de  
quibus colligi possit Solis locus. Præterea cernuntur in armilla meridiana in sectio-  
nibus horizontis duo quasi adminicula, unumq̄ supra iuxta uerticalem punctum.  
Hæc ipsa & sub poli diuersa altitudine & pro mutato finitore, non possunt non &  
ipsa moueri, quare agglutinari ad meridianum non potuerunt. Cæterum illis quæ  
sunt in sectionibus meridiani & finitoris, applicari solet dimidiatus orbis, quem se-  
micirculum positionis nominant, quo definiantur & cœli duodecim domicilia, &  
exquirantur tempora successuum quorumcunq̄ locorum in Themate, nunc dire-  
ctiones uocant, & singulæ stellæ in suas domos includantur. Sed tertio adminiculo  
inferitur quadrans circuli, quæ & quarta altitudinum appellatur, & sistitur super Ho-  
rizontem, distincta, ut par est, in partes, XC. & apta cognoscendis altitudinibus so-  
lis & stellarum. Atq̄ hi circuli & circulorum partes, de quibus hæcenus mentionem  
fecimus, quia in regionibus diuersis diuersi & ipse esse consueuere, ideo in globi cor-  
pore exprimi non potuerunt, quorum usum & accommodationem quàm potuimus  
euidenter ostendimus. Nam quæ in globi ipso corpore inscripta cernuntur, de ijs  
quantum quidem ad rem putauimus pertinere, initio & seorsim in prolegomenis  
nostris disseruimus. Ne quid autē omnino prætereamus, cum in aluei uno pede hora-  
riolum compassum, ut uocant, inclusum, supraq̄ quasi libella dependens cernatur, etsi  
nemini non intelligam in mentem uenire posse, cuius rei gratia addita hæc fuerint,  
tamē & ipsum exponere uisum est. Nam horarium non sinet falli in positu globi sic,  
ut illius singulæ partes, singulis cœli locis respondeant, & libella emendabit quasi  
cliuos basis, quibus, si globus semper uno & certo in loco positus relinqueretur, for-  
tasse non esset opus. Cur autem globo sphærica norma siue gnomon attribuatur,  
multis ex capitibus quibus usum instrumenti nostri ostendimus, intelligi dabitur.

Quomodo globus Astronomicus, quæ est Sphæra solida,  
ad regionem quamcunq̄ aptandus sit.

## CAPVT SECVNDVM.



ONSTITVE globum siue sphæram solidam intra armillam me-  
ridianam, & per foramina armillæ fige clauos in polos mundi ipsius  
corporis solidi, & firmabis eos, ut facile excidere non possint. Postea  
imponere globum cum armilla meridiana alueo, & numera à polo mun-  
di arctico uersus horizontalem circulū descendendo tot gradus, quan-  
ta est latitudo, siue eleuatio polaris tuæ regionis, & quàm subtilissime poteris, fac  
ut dire-

ut dire-